

CLARISSIMUM DOMINUM  
M. CHRISTIANVM  
MARBACHIVM

PERAMANTER SALVTAT

PRAESES.

**A**uspicatum Tuae Familiae nomen est MARBACHIORVM, & uti ecclesiae puriori jam ante haec bina secula admodum suave & jucundum: ita Tibi porro instar stimuli ad gloriam nominis illius porro assequendam futurum. Argentina, tot Theologorum sincerorum vel mater benigna vel nutrix, suscepit & dedit quoque MARBACHIOS, JOANNEM Patrem, & Filios optimos, ERASMVM & PHILIPPVM, Triumviros, dignissimos, in quorum memoria ornanda & ad posteritatem transmittenda elaboraret FECHTIVS Theologus exquisitissimus & summum (utinam adhuc diuturnum!) Roseti decus. Et sigillatim in JOANNIS Patris descripta juventute videor mihi quaedam vidisse, quae in Te, MARBACHI optime, felici aliquo omine, noviter & rediviva quadam viriditate, efflorescunt. Totus ille in eo erat, ut VVittebergae se traderet poliendum, & sanctissima praecipue disciplina imbuendum. Idem Tibi fuit ardor, adeo ut praeter VVittebergam nihil animo Tuo se insinuare potuerit, quantumvis in speciem amabile & jucundum. Atque sicut ille MARTINO LVTHERO adeo affixus esse voluit, ut & aedibus & convictu ejus uteretur, ac praeterea in intimam ipsius amicitiam, ob morum candorem, & in studio Sacro contentionem, admitteretur: Ita per eos annos, quibus hic, vixisti, praeter alios doctores solidissime Te instruente  
totum